

16. VII. *Crimen abigens* committitur ab eo, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis subtrahit, seu abigit, & quodammodo depradatur. *Armenta* dicuntur majora animalia, ut boves, & equi, sub quibus etiam sunt jumenta, ut mull, canelli, asini. *Græ* constat minoribus pecoribus; ut ovibus, capris, subibus, que gregatim pascuntur. Tunc autem quis censetur abigens, dum ex minoribus pecoribus totum gregem abigit, seu furripit; puta oves saltem decem, & porcos quinque, vel quatuor; vel qui hanc artem exercet: sapius, v. g. ter, quater unam, aut alteram ovem, abducendo. Ex majoribus, seu armentis sufficit ad abigendum unum pecus abduxisse: non tantum ex agro, sed etiam e domo, aut stabulo: si quis vero bovem in solitudine errantem abducatur, fur potius est, quam abigens. Hodie abigei puniuntur ut fures; & quidem laqueo, si citra effractionem: gravius vero, si cum effractione abigatum commiserunt: imo ut latrones, & graffatores pleuntur, si gladio, & armis abegerunt. Olim pro qualitate delicti puniebantur relegatione, gladio &c. Vide tit. 14. ff. de Abigeis, & tit. C. eod.

17. VIII. *Crimen receptationis* fit, dum quis furem, seu alium maleficum recipit in suo, vel alieno, eumque occultat. Receptor pari pena punitur cum maleficio, quia in pari est culpa: mitius tamen, si propinquum occultavit, tit. ff. & C. de receptoribus.

18. IX. *Furtum balnearium* fit ab iis, qui furantur vestimenta ingrossorum in balnea. Fures balnearii gravius puniuntur extra ordinem pro qualitate delicti; quia gravior pena statenda, ubi facilis est copia furandi, tit. 17. ff. de furib. balnear.

19. X. *Crimen effractionis* est, dum a furibus fores, & parietes violenter perfringuntur diripiendi causa. *Crimen expilationis* est, dum predones alienas aedes, aut villas expugnant, & spoliant. *Effractor*, & *expilator*, cum sint atrociores fures, gravius puniuntur: hodie ultimo supplicio exasperato, uti & effractor carceris. Item pro qualitate delicti puniendi sunt *Sacellaris*, seu *Sacellarius*, qui artificiose pecuniam e facis subtrahunt. *Directarius*, seu *directarius*, aut *directarius*, qui in alienam domum se dirigit, & ingrediuntur. *Aperiturarius*, quibus nihil ita oblatum est, quod non aperiant, tit. ff. de effractorib.

20. XI. *Crimen expilate hereditatis* est, dum quid furripitur ex hereditate jacente. Et quamvis furtum sita theologicæ sit furtum, in jure tamen civili non dicitur *furtum*, sed *crimen capitate hereditatis*, quia non accipitur defuncto, qui non exat: nec heredi, qui necdum advit, & apprehendit possessionem, l. 13. ff. de acq. poss. Hoc crimen committitur a solis extraneis: non a cohæredes, qui tenentur iudicio familiaris heriscundæ; neque ab uxore, que tenetur actione rerum amotarum, bene vero a vitrico, vel noverca, si quid rapiant ex hereditate privigni, aliunde quam a patre, vel matre delata, l. 2. 3. C. de crim. expil. hered. Punitur hoc crimen extraordinarie, hodie extraneus hereditatem expillans, laqueum non evadet, cum per l. 1. §. 1. ff. de effractor. expilatores sint atrociores fures. Vide tit. ff. & C. expilate hered.

21. XII. *Crimen termini moti* est, dum quis dolose terminos, seu limites fundorum mutat, vel ut præcise alteri nocat, vel ut aliquid de fundo alieno detrahatur suo addat. Et quidem terminos propellens, fundi sui dilatandi causa, pro qualitate personæ, & atatis puniuntur corporaliter verberatione, relegatione, condemnatione ad opus publicum, l. 1. ff. de termino moti. *Const. Carol. art. 114.* item tenetur ad restitutionem termini, & reparationem damni illati. Si vero extraneus terminos movit, ut litem inter confines excitaret, tenetur actione populari in 50. aureos ex L. Agraria C. Cæsaris: servus vero, vel ancilla id faciens, capitali poenæ subest ex L. Divi Nervæ, nisi dominus multam suffere maluerit l. fin. eod. Actio *termini moti*, seu *legis Agrarie*, utpote ex delicto descendens, non transit contra hæredes, nisi ejusdem criminis sint rei: sed si quid ad eos pervenit, tenentur sola actione ad exhibendum, rei vindicatione, vel conditione, prout res se habet, l. 1. ff. de privar. delicti. Vide tit. ff. de termino moti.

22. XIII. *Crimen repetundarum*, puta pecuniarum est, dum magistratus, vel officialis publicus pecunias fordide accipit ob iudicandum, vel decernendum; &

generaliter ob præstandum id, quod ex officio suo præstare debet; vel contra ob non faciendum id, quod faciendum foret. Crimen hoc ex L. Julia repetundarum, que voluit magistratus ab omni fordere puros esse, punitur poena quadrupli, ita ut exacta pecunia, seu quodcumque muos in quadruplo restituatur, l. 1. C. ad L. Jul. repetundarum. donatum ex hac causa accipi non potest: venditio, locatio ex simili causa facta pluris, vel minoris, est irrita l. 8. ff. eod. & pro qualitate delicti reus interdum extra ordinem puniuntur l. 7. in fin. ff. eod. Moveretur actio ista etiam contra dantem, cum & date ob talem causam turpe sit; & contra hæredem intra annum, cum turpia lucra non sint imputanda hereditati, l. 2. ff. & l. 4. C. eod. Durante officio, non instituitur hoc iudicium, nisi contra præfides, seu gubernatores provinciarum, si iudicia venalia faciant l. fin. C. eod. Si olim etiam apud ethnicos tam detestabilis fuit acceptio pecuniarum pro exercendo actu officii publici, quanto magis cavenda erit magistratibus christianis; & præsertim Ecclesiasticis. Vide dicta lib. 1. tit. de off. Jud. Agitur de hoc crimine publico tit. ff. & C. ad L. Juliam repetundarum.

23. XIV. *Crimen peculatus* est furtum pecunie publicæ, seu fiscalis ad republ. seu principem pertinentis: vel furtum rei sacre, quod proprie dicitur sacrilegium. Si quis municipio, seu civitati inferiori pecuniam furripit, furtum est, non peculatus, l. 15. ff. de P. S. l. 31. ff. de furti. Nomine *pecunie*, venit omnis res ad ararium principis pertinens arg. l. 4. §. fin. ff. ad L. Jul. pecul. Committitur hoc crimen variis modis; ut si pecunia publica principis Superiorum non recognoscens furripitur, vel res sacra, quia sacra sunt publica; vel si quis in talibus publicis minorum summam scripsit, vel effractions muris, aut portis civitatis aliquid inde abstrulit, l. 4. 10. 11. ff. eod. 2. Iudicium peculatus est publicum ex L. Julia pecul. & si pecunia sisco incorporata fuit furtiva, est poena pecuniaria quadrupli; alias dupli, si furtiva est pecunia sisco debita, sed non incorporata l. 6. 13. ff. ad L. Jul. pecul. l. 7. 8. C. de jure Fisco. l. 1. C. de his, qui ex publ. rat. altera poena est deportatio, hodie ultimum supplicium, quo etiam puniuntur magistratus, qui tempore administrationis publicas pecunias subtraxerunt, & hi, qui eis ad hoc ministerium exhibuerunt, vel pecunias ab eis subtractas scienter receperunt, §. 9. de publ. iud. l. un. C. de crim. pecul. 3. De jure Can. clerici, qui bona Ecclesie sibi appropriant, vel alienant, tanquam rei peculatus excommunicantur, nisi celeriter restituant c. 6. de reb. Eccl. alien. & si restituere non possint, deponuntur, Can. 33. Diaconi, 12. q. 2. Far. Vide tit. ff. ad L. Jul. pecul. & tit. C. de crim. pecul.

24. XV. *Sacrilegium* est crimen, quo res sacra eloco sacro, vel res sacra e non sacro, vel res non sacra, attamen Ecclesie concedita, de sacro fraudulenter auferuntur, Can. 21. §. similiter 17. q. 6. Et hoc crimen mixti fori, & ex eadem L. Julia punitur extraordinarie pro qualitate turpium, ad penam capitalis; qualis etiam est deportatio, & damnatio ad metallum §. 2. v. capitalia de publ. iudic. l. 6. pr. & l. 9. ff. ad L. Jul. pecul. hodie fures sacrilegi pro qualitate delicti puniuntur suspensio, vel igne. De jure Can. sacrilegus dare debet 30. libras purissimi auri, sit infamis, & si res Ecclesie non vult restituere, excommunicatur, donec se corrigat, Can. 21. in digne 12. q. 2. Vide l. 2. 4. 5. 6. 9. ff. ad L. Jul. pecul. & de sacrilegiis, & de residuis.

25. XVI. *Crimen de residuis* est, quo tenetur magistratus, qui pecuniam publicam in certum usum destinatum retinet, neque eam sisco, seu arario inferat, l. 2. 4. §. 4. ff. ad L. Jul. pecul. ubi huic delicto, præter infamiam, dicitur poena, ut damnatus tertia parte plus, quam debet, sisco inferat, sive pecuniam publicam in suum usum converterit, sive non converterit illum usum, ad quem fuit destinata. Hodie poena est arbitraria, non vero suspensio, quia officiales publici non tam furantur, quam perisse agunt, & pecuniam suo periculo administrant, l. 9. §. 2. ff. eod. & l. 53. §. 1. ff. de admin. iuror. l. 6. ff. de publican. & veltib.

26. XVII. *Plagium* est crimen publicum, quo liber homo, vel servus alienus furtim abducitur animo illum celandi: seu est furtum liberi hominis, aut servi alieni. Plagiaris ex L. Fabia de plagiaris puniuntur pro qualitate delicti poena pecuniaria, exilio, damnatio-

ne ad metalla; & aliquando gladio, si venditor scienter emptori scienti liberum hominem venderit. Vide tit. ff. C. ad L. Fabiam de plagiar. De jure Canon. plagiaris acriter puniendi sunt; non tamen morte, quam Ecclesia infligere nequit. Nec obstat textus Exod. 21. v. 27. relatus c. 1. h. t. nam quoad mortem corporalem hodie non tenet; bene vero quoad spirituales, puta excommunicationem, licet secularis iudex morte punire possit plagiarium.

TITULUS XIX.

De Usuris.

Agitur de hac materia in Sexto, & Clem. hoc tit. in Decreto dist. 46. & 14. q. 56. in Pandectis lib. 22. tit. 1. in Codice lib. 4. tit. 32. De mutuo agitur in Institution. libr. 3. tit. 15. princ. in Pandectis libr. 12. tit. 1. in Codice libr. 4. tit. 1. 2. Nov. 106. 110. 121. 136.

Cum usura sit filia mutui, & de hoc in jure Can. nullus specialis titulus habeatur, non erit inconveniens prius de mutuo, deinde de usuris tractare.

§. I.

De Mutuo.

1. Nota mutuum objective accipi pro ipsa re mutuo data; esse, seu consecutive pro jure, & obligatione ex mutuo descendentibus. Formaliter vero pro contractu; qua ultima acceptio mutuum est *contractus realis stricti juris*, quo res fungibilis in alterum transferretur ea conditione, ut res ejusdem generis, quantitas, & qualitatis, seu bonitatis restituatur: ita in re comm. ex l. 2. §. 1. ff. de reb. credit. Dicitur *realis*, quia mutuum non contrahitur, nisi extradiatione rei. Dicitur *stricti juris*, quia, cum mutuum §. 28. Inst. de action. non numeretur inter contractus bonæ fidei, sequitur illud esse stricti juris, ut iudex secundum terminos conventionis teneatur iudicare. Dicitur *res fungibilis*, seu usu consumptibilis; cuiusmodi sunt res pondere, numero, & mensura constantes, ut lana, pecunia, vinum, oleum &c. oves tamen, boves, equi, & familia animalia non constituunt materiam mutui, cum eorum usus non consistat in abusu, l. 68. §. fin. ff. de usufr. Dicitur *4. ut res ejusdem generis &c.* nam obligatio mutuatarii est, non ut restituat eandem speciem, sui philosophice loquendo, *idem corpus individuum*, sed idem genus, seu rem similem in eadem quantitate, & qualitate; ut triticum pro tritico, vinum pro vino, lanam pro lana &c. ita ut tantum, & tam bonum restituatur, quantum, & que bonum mutuo datum fuit. In pecunia id speciale est, quod non attendatur corpus, seu materia, sed valor publicus, & æstimatio, ut dixi libr. 3. tit. de censib. Ex his discrimen habes mutui a commutato, locato, deposito, in quibus dominium rei non transfertur in accipientem, sed idem corpus, seu individuum rei restitui debet: secus est in mutuo.

2. Q. I. *Qui possunt mutuum dare?* R. 1. Omnes liberam rem administrationem habentes, nisi specialiter prohibentur: nam contrahere est libertatis. Unde etiam servus, & filiosam pecuniam peculiarem, & sur pecuniam ex re furtiva redactam mutuum dare potest, l. 7. ff. de R. C. quia licet furtiva fuerit, tamen pecunia inde redacta non est furtiva. Prohibentur autem mutuum dare: 1. Pupilli, & minores sine auctoritate tutoris, & curatoris, l. 12. & 19. eod. 2. Filiosam rem patris, & servus rem domini l. 11. in fin. eod. 3. Præfides provinciarum l. 33. eod. quia negotiorum eis prohibetur. Denique omnes illi, quibus patris, & contrahere prohibuit est a natura, vel jure.

3. R. 2. Si mutuum bona fide acceptum est a persona inhabili, & bona fide consumptum, mutuum convalescit, & pecunia, seu res consumptione acquiritur accipienti: ita comm. Exempla habes in l. 12. 13. 19. ff. de R. C. ubi mutuum a furioso, servo, pupillo datum convalescit consumptione bona fide facta. Quod etiam procedit in solutionibus, & liberationibus; ut si debitor alienam pecuniam dedit, & creditor eam bona

fide consumpsit; tunc enim consumptione facit suam l. 78. & 94. ff. de solution.

4. R. 3. Fictione juris censetur mutuum dedisse: 1. Qui dedit speciem, seu corpus, v. g. posulum aureum, ut ex ejus distractione pecunia esset mutua, l. 11. pr. ff. de R. C. licet de rigore juris non esse mutuum dicat Africanus, lib. 34. ff. mandati. 2. Qui pecuniam sibi debitam iussit ab altero accipere, quasi sibi cessam in mutuum, tit. lib. 34. quia delegans debitorem, videtur mutuum dare, & per fictionem brevis manu tradere, lib. 18. ff. de fidejussor. & l. 15. ff. de R. C. 3. Qui deposita pecunia permittit uti depositarium, l. 9. §. fin. eod. quia hic consensus vim habet traditionis, arg. §. 44. in de ver. divif. 4. Qui suam pecuniam dat nomine tertii absentis, & ignorantis, v. gr. Titius nomine Caji credit pecuniam Stichæ: quo casu Caju fingitur pecuniam credidisse, l. 9. §. 8. ff. de R. C. quamvis enim alteri per alterum obligatio non acquiritur actu civili, ut est stipulatio, l. 38. §. 17. ff. de V. O. & §. 5. In per quas pers. acquirit tamen potest actu naturali, ut est mutuum, l. 126. §. 2. ff. de V. O. l. 3. C. per quas person. l. 6. C. de condit. in deb. A fortiori id procedit, si quis pecuniam nostram nomine nostro det mutuum l. 4. C. si cert. petat.

5. Q. II. *Qui, & quomodo obligentur ex mutuo?* R. 1. Omnes obligantur, & tenentur conditione certâ, aut incerti, qui ex contractu obligari possunt. Hinc pupilli sine auctoritate tutoris non obligantur, nisi facti sint locupletiores, l. 3. pr. ff. commodat. Dominus ex mutuo servi, aut procuratoris non obligatur, nisi voluntate domini censetur mutuum acceptum; ut si dominus mandatum dedit, si servum negotiationi, vel pecuniam foverendis, & accipientis præposuit.

6. R. 2. Collegium, seu universitas, v. g. civitas, Ecclesia, monasterium non aliter obligatur ex mutuo per administratores accepto, nisi probetur in utilitatem ejus conversum fuisse, lib. 27. ff. de R. C. ne scilicet Ecclesia per fraudem, & iniquitatem administratorum lædatur, & are alieno gravetur. Nec sufficit, quod mutuum acceptum sit cum consilio, & consensu seniorum, vel quod in instrumento exprimitur causa necessitatis, & utilitatis: nam hæc omnia fraudibus subsunt in gravamen communitatis, & senioribus nullo jure permittum est disporre circa res; & gravamina communitatis. Secus esset si adesset consensus totius civitatis, capitali, aut monasterii, saltem capitaliter a majore parte datus: tunc enim communis est mutuo accepto censetur obligata, c. pen. de fidejussor. Porro in casu priori, cum communis inentionem suam habeat fundatam in jure, onus probandi mutuum fuisse conversum in utilitatem communitatis, incumbit creditori tanquam actori, l. un. Cod. de solut. & liber. debiti. civil. libr. 13. & Auth. hoc jus in fin. Cod. de SS. Ecclies. Vide meas Disp. Civ. dispn. 11. contror. 3.

7. R. 3. Filiosam, ex pecunia mutuo accepta mero jure obligatur: ita comm. corum, qui non tantum bene sentiunt, sed etiam bene loquuntur: licet aliqui non penetrata natura obligationis, & exceptionis, peperant dicant filiosam, nullo modo obligari; nam exceptio juris, proprie talis, supponit obligationem, & actionem, cuius est elio princ. Inst. de excep. Sed filiosam, contra feneratorum competit exceptio S. C. i. Macedoniani, l. 1. §. 4. ff. de S. C. i. Maced. ergo filiosam, ex mutua pecunia est mero jure obligatus: tum quia S. C. tum hanc obligationem non tollit, sed expresse avertit, lib. 10. eod. quia naturalis obligatio manet: neque necesse fuit eam tollere, quia stante tali obligatione, finis totius S. C. i. obtinetur. Dices: l. 1. eod. negatur actio creditori, seu feneratori; ergo nulla est obligatio in filiosam. R. Actionem negari non ideo, quia mero jure non competit, sed quia ei obstat notoria exceptio S. C. i. Macedoniani.

8. R. 4. Filiosam, ejus patri, & fidejussori competit exceptio perpetua S. C. i. Maced. ad hoc præcise, ne teneantur solvere mutuum pecuniam a filiosam, acceptam: ita lib. 1. d. 1. Ratio hujus saluberrimi S. C. i. fuit, ne filiorum mores pro pecunia, & luxum depravarent in maximum detrimentum reip. & defolationem parentum; & ne filii are alieno gravati optarent mortem parentum, eorumque vite infidiantur, ut a contractis debitis liberarentur.

9. Quae rationes cum concernant bonum publicum, & favorem tertii, seu parentum, fugient, quod filius nam. neque juramento renuciare possit huic Scto Maced. ex doctrina, cap. 28. de iur. c. 2. de pall. in 6. & reg. 58. in 6. non est obligatorum contra bonos mores praesidium iuramentum. Idem suadent, quod exceptio ista Scti Maced. proficit non tantum in foro externo, sed etiam interno; quia secus non obtineretur finis Scti, cum eadem mala perirent. Fufius ista vide in meis disp. civ. disp. 15. contrav. 2. 3. 4. Porro hoc Sctum introductum est in odium feneratorum; & ideo nomen accepit a celebri feneratori Macedone: licet alii nomen hoc derivent a quodam juvene macedone, qui aere alieno gravatus, & longam patris vitam peritus, eundem occidit.

10. R. 5. Sctum Macedon. cessat in casibus expressis, lib. 2. 3. d. 11. ut si filiusfam. pro castrensi peculio pecuniam petiit, si patremfam. se finxit, si alium contractum inivit, ut venditionis, locationis, mutui aliarum rerum praeter pecuniam &c. nisi id fieret in fraudem Scti; ut si fenerator triticum venderet, ut ex eo mox vendito filiusfam. numeratam pecuniam haberet &c. Cessat, si filius emancipatus, vel pater debitum solvit: ita ut solum repetere non possint, l. 9. §. 4. d. t. tum quia Sctum factum est ad non solvendum, non vero ad solum repetendum; tum quia obligationem mutui non sustulit, neque feneratoris punire voluit repetitione soluti: tum quia facta solutio, cessat finis Scti, scil. depravatio morum, & infamia vite paterna. Si tamen filius in patria potestate constitutus solvit, pater solum repetere potest, si nummi extent, lib. 9. §. 1. hoc tit. secus si bon. fid. a creditore consumpti sint, lib. 14. ff. de R. C. Si tandem pater solvere inceperit, tenetur integrum debitum solvere, quia censetur debitum filii approbasse l. 7. §. 15. ff. & l. 2. C. ad Sct. Maced.

§. II.

De Crimine Usurae.

11. Nota 1. Usura nomine significari usum; & quandoque fructum ex re provenientem: sed in iure ultra proprie objective sumpta, est lucrum ultra sortem, seu quantitatem mutui, & formaliter sumpta est conventio de lucro dando ultra sortem praesertim ex vi, & causa mutui; sive lucrum istud consistat in pecunia, sive in alia re pretio aestimabili; ut vino, labore, obsequio &c.

12. Nota 2. Usuram dividi: 1. In compensatoriam, moratoriam, & Lucrativam. Compensatoria est illud lucrum, quod accipitur in compensationem ejus, quod nobis abest, puta ratione lucri cessantis, damni emergentis, expensarum, periculi in amittenda sorte &c. Moratoria, seu punitoria, est illud lucrum, quod accipitur pro modum poenae conventionalis ob moram culpabilem in solvendo commissam. Lucrativa est lucrum ultra sortem praesertim ex causa mutui. Et haec est proprie usura, non vero duae priores: quia non proveniunt ex titulo, seu causa mutui, sed ex aliis causis. 2. In internam, quae in sola mente consummatur: & externam, quae prodit in opus exterius. 3. In mentalem, conventionalem, & realem, ad similitudinem simoniae. Mentalis est, dum ex mutuo dato intenditur aliquod lucrum ex iustitia dandum; attamen sine praevio pacto. Conventionalis est, dum praevio pacto petitur aliquid ultra sortem mutui: & si hoc lucrum re ipsa detur, est usura realis, & completa, 3. In expressam, seu formalem, quae fit discretis verbis: & tacitam, seu circumvenalem, quae fit pacto implicito in factis, aut verbis relictae. Vocatur palliata, ut si mercem constantem 90. vendas 100. ob dilationem pretii intra annum; vel si dicas: do tibi centum mutuos, confidens eos vacuos non redituros.

13. Nota 3. Varios assignari titulos aliquid petendi ultra sortem; uti est titulus lucri cessantis, damni emergentis, periculum sortis amittendae, si fit extraordinarium, & proximum: affectatio, seu periculum sortis a creditore susceptum, mora culpabilis. Item obligatio non petendi ad certum tempus, labor numerandi pecuniam &c.

14. Q. I. An usura ex genere suo sit mala, &

illicita? R. Affirmative: ita Catholici cum S. Thom. 2. 2. quae. 78. art. 1. nam inspecta rerum natura, illicitum est capere lucrum ex re aliena; ut si ex heredo vendito, aut penutato lucrum habere velis; sed in mutuo res sit aliena, scil. mutuatarii, ergo ex tali re illicitum est lucrum capere; tum quia vendere id, quod non est, ex genere, & natura sua est illicitum; sed in mutuo usurario venditur id, quod non est, scil. usus rei fungibilis, qui tamen non est distinctus ab abutu, cum non possimus uti, v. gr. vino, aut pecunia, quin abutamur; ergo: tum denique quia contractus, in quo deficit aequalitas, ex natura sua est illicitus; sed in mutuo usurario deficit aequalitas: nam creditor dat, v. gr. centum cum potest abutendi, seu consumendi rem fungibilem; mutuatarius vero praeter centum cum simili potestate abutendi reddere debet quinque, sex, vel decem, qui excessus ponit inaequalitatem dati, & recepti; ergo. Ex quo patet, usuras ex natura sua, seu de iure naturali, seculo omni iure positivo, esse illicitas; adeoque omni hominum generi prohibitas. Jam conformiter iuri naturali usurae prohibentur iure divino. Deuter. 23. v. 19. non feneratoris fratri tuo ad usuram pecuniam, Exod. 22. vers. 25. Ezech. 18. v. 20. &c. Luc. 6. vers. 35. mutuum date, nihil inde sperantes: & ideo Alex. III. cap. 3. a. hoc tit. dixit usuras esse condemnatas utriusque testamenti pagina: nam licet mutuum dare sit consilii; tamen si datum fuit, est accepti, ut nihil inde speretur, hoc est, ex iustitia accipitur, S. Thom. c. ad 4. Prohibentur etiam usurae iure Can. ut Can. 43. Apof. Can. 18. Conc. Nicen. Can. 1. & seq. 14. q. 3. & toto hoc tit. Unde in Clem. unie. §. fin. hoc tit. dicitur tanquam haereticus puniendus, qui pertinaciter affirmare praesumpserit, exercere usuras, non esse peccatum. De iure civili, licet usurae toleratae fuerint ad maiora mala praevacanda nullibi tamen positive approbantur, ut licita, sed potius condemnantur a Iustin. Nov. 131. c. 1. ubi iubet regulas, seu Canones IV. Concil. observari: constat autem Can. 18. Conc. Niceni prohiberi usuras, ut refertur Can. 2. d. 47. & Carol. V. an. 1520. expresse in sua const. prohibet usuras. Dices: 1. Pro usu vasis auri potest pecunia accipi; ergo etiam pro usu, seu iure utendi pecunia. 2. Pecunia, & operahominis aequiparantur, l. 5. §. 1. ff. pro socio; sed pro opera hominis potest lucrum exigi: ergo etiam pro usu pecuniae. R. Neg. conf. nam usus vasis est distinctus, & separatus a corpore, seu substantia vasis; & cum sit praetio aestimabilis, pecunia locari potest; contra usus pecuniae est ejusdem abusus, neque separatur a dominio, & conf. ob inaequalitatem, & iniustitiam nihil peti potest pro usu pecuniae, nisi per accidens pecunia locetur, v. g. ad ostentationem, delectationem oculorum, pompam, & splendorem, ut eadem numero pecunia restitatur: quo casu, cum non celebretur mutuum, sed locatio, conductio, neque usus consistat in abusu, nihil prohibet aliquid accipi pro locato usu pecuniae, utpote suo domino fructificantis, S. Thom. loc. cit. ad 5. Ad 2. Pecunia, & opera hominis secundum quid aequiparantur in ordine ad contractum societatis, ubi lucra negotiationis, & damna sunt communia; at in mutuo, ubi idem genus restituitur, non est aequiparatio, quia opera hominis ex se est frugifera, non vero pecunia, cum praeter naturam sit, ut nummus nummum pariat, Arist. 1. Polit. cap. 7. Ceterum, quae hic obijci solent, ex dicendis solvantur, & jam soluta sunt a S. D. loc. cit. art. 1. & 2. & apud Cajet. ibid.

15. R. 2. Usura censetur committi in seq. casibus: 1. Quotiescumque mutuatario imponitur extranea obligatio iustitiae ad aliquid dandum, vel faciendum, v. §. ut ratione mutui aliquid petat ultra sortem, obsequia praestet, injuriam, debitum, vel aliam obligationem remittat, preces, intercessionem, & commendationes interponat, officium, vel beneficium procurat, sit in futuro obligatus mutuum dare &c. nam haec omnia sunt pretio aestimabilia, & ultra sortem exiguntur. Contra non est usura, si a petente mutuum petas de praesenti aliquid mutui, & sub conditione hujus dare velis mutuum: nam hic nulla obligatio mutuatario imponitur, sed praesertim unum beneficium mutui offertur alteri, si & iste simile beneficium vult praestare. Secus esset, si daretur mutuum, ut alter suo tempore obligatus

res foret aliud mutuum dare: hic enim nova obligatio ei imponeretur.

16. II. Si creditor ratione mutui petit aliquid determinatum ex gratitudine, & benevolentia praestandum, est usura, & oppositam propositionem num. 42. damnavit Innoc. XI. nam tali casu alteratur obligatio gratitudinis, quae indeterminata est, & transit in obligationem iustitiae, ut in simili casu dixi tit. de Simon. num. 7. At si quid sine ullo pacto offerretur ex obligatione pure antidotali; vel si creditor sub sola spe aliquid obtinendi, vel conciliandi sibi benevolentiam mutuatarii, eidem daret mutuum, nulla esset usura; quia nullum gravamen iustitiae imponeretur mutuatario.

17. Q. II. An usura possit ex certis causis cognerari, ut sint licite? Quaevis ista non procedit de usuris formaliter talibus, quae nunquam cohonestari possunt; quia peccatum ut tale, nunquam potest esse honestum; sed procedit de usuris materialiter spectatis, an scil. materia usurarium subdici possit praepropto naturali non feneratoris, ita ut ab eo subducta possit esse materia, seu obiectum actus boni, & liciti: quo sensu solum loqui de cohonestatione furti, homicidii, fornicationis &c. & in hoc sensu.

18. R. 1. Affirmative: nam materia usurarium non est ita intrinsece mala, sicut materia mendacii, heresis, &c. ut in nullo casu variari possit, sed cum subest dominio divino, & variis circumstantiis, ita purificari potest, ut id, quod supra sortem accipitur, iuste, & licite accipitur, ut patet ex dicendis, ergo.

19. R. 2. Usura cohonestatur, si Deus det jus petendi, & accipiendi aliquid ultra sortem: nam Deus, cum sit dominus omnium, potest ex bonis alienis alteri aliquid attribere; ergo & illud lucrum ultra sortem mutui. Hoc modo usurae, quas hebraei a gentibus exigebant, dicuntur fuisse licite, quia hebraei ex voluntate divina lucra ista, tanquam res sibi debitas vindicantur Can. fin. 14. q. 4. & Can. 12. dixit. 14. q. 5. S. D. tamen dicit usuras istas fuisse solum permittas, non vero licitas, 2. 2. q. 78. a. 1. ad 3.

20. R. 3. Usurae moratoriae, seu punitoriae, sunt licite ex conventionione, dummodo sint moderate, & moram fuerit culpabilis in solvendo, praevio termino competentis: ita com. DD. nam exactio poenae conventionalis propter moram culpabilem utroque iure approbatur in contractibus l. 14. C. de pallis, lib. 23. ff. de O. & A. l. 13. §. 26. ff. de action. emp. lib. 15. C. h. r. & c. 4. & 9. de Arbitr. ergo & in mutuo; cum lucrum hoc poenale non exigitur ratione mutui, sed ratione morae culpabilis. His non obstat l. 44. ff. de usuris & fruct. l. 15. C. h. r. & Can. 11. fraternitas 12. q. 2. & Can. 1. 4. §. 8. cans. 14. quae. 4. nam iura civ. loquuntur de poena excessiva; Canones vero elegerunt prohiberi poenalia lucra ob indecentiam, ne videantur licitis turpibus inhiare.

21. R. 4. Usurae compensatoriae sunt licitae: 1. Ex titulo damni emergentis, S. D. l. c. a. 2. ad 1. seu ratione iustitiae, quam patitur creditor ex mutuo dato; ut si nequeat aedes ruinosis reticere, si cogatur postea frumentum, aut vinum carius emere, vel aliunde mutuum accipere cum usuris: nam damnum suum quilibet licite vitare potest; ergo si creditor ex mutuo damnum patitur, illius compensationem petere potest; dummodo super tali damno pactum liberum praecesserit, & mutuum sit causa hujus damni.

22. II. Ex titulo lucri cessantis pro quantitate spei consequendi lucrum: nam creditoris interest, ne tempore illo, pro quo mutuum dedit, suo lucro quarendo privetur: ergo loco lucri cessantis aliquid peti potest, ut infra de J. Cus, l. 60. ff. pro socio; dummodo spes certa, vel probabilis lucri manifestetur mutuatario, & mutuum sit causa, cur cessat negotiatio, & lucrum moraliter praesens; secus si lucrum plane sit in certum, S. D. cit. a. 2. ad 1.

23. III. Ex titulo periculi admittendae sortis, si periculum sit extraordinarium, & proximum, nisi aliunde caveatur de sorte: ita Sylv. Reiff. cum cit. contra Nav. Sor. VVading. & alios: nam tale periculum, quod creditor subit, est pretio aestimabile, sicut in fideiussione, lib. 19. §. 1. ff. de donat. & in casum, quo res tempore solutionis minus sit valitura, lib. 5. princ. ff. de nam. fan. cap. 6. hoc tit. ergo ratione hujus periculi licet aliquid ultra sortem petere. Favet

huic sententiae S. D. Opus 73. de usur. quae. 10. & ita videntur excusati mercores a peccato, qui aliquanto pluris vendunt merces in creditum illis personis, a quibus vix aliquid accipiendum prudenter sument; atque ita exponunt se periculo amittendae sortis, seu iusti pretii. Nec obstat, cap. 6. b. r. nam in priori parte damnatur conventio plus petendi ob dilationem solutionem; non vero ob periculum amittendae sortis.

24. IV. Ex titulo affectationis, dum creditor in se suscipit periculum poenae, v. g. per mare trajectendae, ita ut si deperdita fuerit, debitor ad nihil teneatur: si vero salva ad locum conventum pervenerit, aliquid pro magnitudine periculi ultra sortem tribuatur, S. D. Opus. 73. de Usur. q. 9. nam hic duo sunt contractus: mutui, ex quo nihil petitur, & contractus affectationis, quo creditor in se suscipit periculum sortis: haec autem affectatio, quam gratis nemo tenetur praestare, est pretio aestimabilis; ergo ratione ejus aliquid peti potest: unde iure civili approbatur nauticum foenus tit. ff. & C. de nautico foenore: & quamvis iura loquantur de periculo marino; tamen ob identitatem rationis intelligenda etiam sunt de periculo terrestri, si creditor in se suscipiat periculum poenae, vel alterius rei mutuae per loca periculosa defendendae. His non obstat, cap. fin. h. r. nam multi Interpretes legunt negative: usurarius non est contentus, alias Papa non fuisset usus particula conjunctiva: ille quoque, sed adverbativa: ille vero, vel contra ille: praesertim cum in isto capitulo agi videatur de his, qui excusantur ab usura. Vel dic, textum istum procedere in casu, quo non adest probabile periculum amittendae sortis, sicut in secunda navigatione, vel itineratione ad mundinas; vel si creditor non aliter velit mutuum dare, nisi cum pacto affectationis, ut exinde aliquid ultra sortem accipiat; & tunc saltem in foro externo censendum est usurarium, quia novum gravamen imponit invito mutuatario, Fagnan. Engl. Reiff. &c.

25. R. 5. Ex titulo venditionis iusta mutuo immittente non committitur usura: 1. Si praevideatur pretium rei diminuendum, conveniri potest, ut restituo fiat secundum praesentem aestimationem, v. g. do tibi tres modios tritici, quorum singuli valent duobus florenis, ut restituas certo tempore 6. modios, quorum singuli valebunt uno floreno, vel sex florenis solvas: nam hic formaliter plus non datur, sed idem secundum valore aestimationis: & ideo si valor unius modii crederet ad tres florenos, mutuatarius non teneretur dare nisi duos modios, vel sex florenos, 2. Si non praevideatur pretium augendum, vel minuendum, seculo alio pacto, restituito mutui fieri debet in natura secundum idem genus, quantitatem, & qualitatem, ut vinum pro vino, avena pro avena, sive pretium crescat, sive decreseat: hoc enim fit secundum naturam mutui, excepta pecunia, in qua per se solus valor attenditur, non materia, seu corpus. 3. Si vero praevideatur pretium diminuendum, damnum est creditoris, qui excessum pretii censetur condonare, cum aliter pacto aestimatorio sibi non providerit. Si tandem praevideatur pretium augendum, regulariter mutuatarius liber est a damno, & restituit secundum publicam aestimationem, v. g. tres modios valentes sex florenis pro sex modis, qui tempore initii mutui sex florenis valuerunt, nisi pactum de eadem quantitate restituenta intervenisset. Cum ergo casus isti saepius lites pariant, optimum erit, ut mutuum celebretur cum pacto venditionis secundum praesentem valorem: quia hoc modo neutri contractenti fit injuria.

26. R. 6. Ex titulo delatae solutionis, dum quis obligat se ad non repetendum debitum intra certum terminum, v. g. intra unum, vel plures annos, nihil citra usuram accipi potest: ita com. DD. nam dilatio solutionis, & obligatio non repetendi debitum intra certum terminum, est intrinseca, & essentialis, mutuo ut tali, seu hoc modo celebrato sed ratione mutui nihil citra usuram peti potest; ergo nec ratione dilatae solutionis: tum quia, seculo alio titulo, pecunia in praefixo termino numeranda tantum valet, quantum praesens numerata pecunia; ergo si quid ultra exigitur, ponitur inaequalitas, & usura, ut patet ex opposita sententia ab Innoc. XI. damnata num. 41. Cum numerata

ra pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam presentem, quam futuram, potest creditor ultra fortem aliquid a mutuario exigere, & eo titulo ab usura excusari. Et quamvis illa obligatio non repetendus intra certum tempus esset precio aestimabilis, tamen abunde compensatur per hoc, quod pecunia interim percat, mutuario perit. Unde 1. Qui vendit mercem 110. quæ valet 100. ob dilatam solutionem annuam, vel qui anticipat emit mercem 90. quæ tempore traditionis valeat 100. committit usuram sub contractu venditionis emptionis palliatam. 2. Qui dat triticum antiquum deterioris, ut detur novum melius; vel qui dat vinum in autumno, ut antiquum restituatur in vere, vel detur tantum pretium, quantum est in vere, & generaliter qui dat mutuum, ut restituatur plus, vel melius, vel carius, non excusatur ab usura, cum aliquid ultra fortem accipiat.

27. Contendunt Tannerus, Haunoldus, & Sa relati a Reinfestuel. lib. V. tit. 19. de Usuris §. 3. per totum, contra commun. DD. usuras, secluso omni alio titulo, cohonestari posse ex causis publicis, quibus inintelligens princeps lege sua, concedere possit eas tamquam licitas in foro interno, & externo: probantque I. Doctrina generali, quod princeps vi domini alti, ob causas publicas libere possit disponere de bonis subditorum, prout melius est bono communi ex principio naturali, quod bonum publicum preferendum sit bono privato, & sic si adint cause publicæ, & ita expediat bono communi, poterit princeps lege sua dispensare, ut lucrum illud ultra fortem ex alienis bonis proveniens, cedat creditoribus: neque appareat hic ulla iniquitas, aut potestatis defectus, cur princeps ob causas publicas nequeat dominium ab uno transferre in alterum civem, & rem unius attribuire alteri. II. Quod non minus ufucapiones, & detentionis rei alienæ sint ab intrinseco malæ, & contrariæ præcepto naturali iustitiæ, quæ utamque usuræ; & tamen princeps ob causas publicas, eas cohonestavit, ut sint licitæ, & iuste pro utroque foro juxta communem, quia materia ufucapionum ita subducta non amplius continetur sub præcepto naturali non furandi, & suum unicuique tribuendi: ideoque etiam princeps ob causas publicas, cohonestare poterit usuras, ut sint licitæ in utroque foro, & in his circumstantiis amplius non continentur sub præcepto naturali non feneratori: adjunkte idem argumentum euertere in irritatis contractibus pupillarum, minorum, alienationis rerum Ecclesiæ, & aliis in quibus princeps ob publicas causas, aliter disponit, in quibus naturale: quia hoc ad similes circumstantias se non extendit.

28. Quibus tamen obijci potest. I. quod princeps non potest cohonestare fornicationes, & adulteria, vel mendacia, ergo nec usuras, quæ equiparantur mendacio cap. 4. hoc tit. II. Clem. un. hoc tit. reprobantur omnia principum statuta usuram foventia, & ea defendens puniendus est, ut hæreticus. III. Princeps non potest immutare naturas rerum, puta ut ex re fructifera reddat fructiferam; sed pecunia est infructifera, ergo princeps eam reddere nequit fructiferam, ut lucrum supra fortem pariat, cum præter naturam sit, ut nummus nummum pariat, Arist. 1. Polit. cap. 7. IV. Usucapio cohonestatur per hoc, quod res incipiat bona fide possideri, & materia tam remota, quam proxima, scilicet possessio rei subit alto dominio principis: usura autem non incipiunt bona fide exerceri, nec materia proxima usuræ, scilicet lucrum ex re infructifera, subest alto dominio principis, cum is ex re infructifera nequeat reddere fructiferam; ergo.

Verum respondent ad I. Negando consequentiam; nam corpora humana non subint dominio principis, sed solius Dei, qui dando jus in corpus solutæ, aut ligatæ, cohonestare potest fornicationes, & adulteria materialiter spectata; e contra bona civium subsunt alto dominio principis, & conf. princeps ob causas publicas dare potest jus percipiendi lucrum ex re aliena, uti fit in usuris. Comparatio usuræ, & mendacii procedit in formali, quia utrumque formaliter, & ab intrinseco est peccatum, sed non in materiali, cum materia mendacii nullo modo, materia vero usuræ in certis circumstantiis variari possit. Ad II. Statuta non

fundata in causis publicis, & indifferente foventia quæcumque usuras excessivas, & mordentes, ut vocant, arbitrarías, iustitias, & charitatis adversas, omnino reprobantur, & qui ea defendit cum errore speculativo peritaci, hæreticus est; & ut talis puniendus; fecus dicunt de statutis, de quibus hic loquuntur, quæ dispugnant circa usuras moderatas, & iustitias conformes, cum istæ altum dominium principis non transcendant. Ad III. Pecunia, accedente industria hominis, sit fructifera, sicut domus, vel ager, & ideo parit lucra in societate, & super illa quasi usus, & quasi usufructus constitui potest l. 1. Sc. ff. de usufr. eorum rerum. Præterea princeps naturas morales immutare potest, ut patet in plurimis contractibus, & actibus in translatione dominiorum, & jurium &c. ergo etiam id facere potest, ut ex bonis alienis lucrum aliquid capiatur. Ad IV. Quidquid sit de veritate antecedentis, quod hic non impugnant, minime tamen doctrina ista satisfaciunt eorum argumento: nam agitur hic de jure iuste alienum accipiendi: si ergo princeps facere potest, ut aliena bona, v.g. integre civitates, & principatus licite utuscipiatur, ita exigente bono publico, a fortiori facere poterit, ut aliquid lucrum capiatur ex re aliena, sive lucrum istud obvenerit ratione rei fructifera, sive infructifera. Asserunt hoc obvium exemplum: princeps ex causa publica obligare potest civem, ut alteri civi annuos det 5. florenos, ergo ad eandem quantitatem obligare potest civem sub conditione, si ab altero vice centum mutuos accipit; dummodo id fudeat causa publica, sine qua jus naturale quoad materiam mutari nequit.

29. Unde hujus sententiæ Sedatores inferunt, quod consuetudo Germaniæ accipiendi 5. pro 100. iustificetur ex causis publicis, licet deficiat in particulari omnino alius titulus damni emergentis, lucri cessantis &c. Et probant enumeratione talium causarum.

Primo est ut consularum necessitatibus & indigentia civium, quia per mutuas pecunias multi cives in statum felicem restituuntur, & in eo conservantur, alioquin non evasuri defecit pecuniarum, quæ otiose jacerent in arcibus, aut dissolvent in usus privatos converterentur cum ingenti republicæ detrimento. 2. Ut homines excitentur ad honesta commercia, labores, & negotiationes, quibus bonum reipubl. promovetur, tam directe per copiam rerum, & pecuniarum, quam indirecte per evitacionem furtorum, depredationum, & latrociniorum. 3. Ut consularum miserabilibus personis, & locis piis, Ecclesiis, & monasteriis, quæ cum per se negotiari non valeant, aliis industriis dominis, & civibus pecuniam mutuum tradunt, ut ex lucris inde provenientibus sustententur. 4. Quia pro iustitia talium usurarum militat duplex generalis presumpcio, altera ex parte creditoris mutuantis, in quo presumitur aliquis iustus titulus, ut lucri cessantis, periculi amittendæ fortis &c. cuius tituli, & causa mentionem faciunt Recessus Imp. Augustæ sub Maximiliano I. an. 1500. & ibidem sub Carolo V. 1530. & 1548. In comitiis Spirensibus sub Maximiliano II. an. 1570. & sub Rudolpho II. an. 1600. §. 152. Altera presumpcio est ex parte mutuatarii, in quo regulariter presumitur industria ad faciendum lucrum ex negotiatione pecuniæ, licet per accidens in casu particulari presumpciones istæ deficiant: sed iustitia legis non deficit; quia motivum generale boni publici, in quo Recessus imperii principaliter fundantur, semper in his circumstantiis durat. 5. Denique causa est, ut tranquillitati tam private conscientiarum, ne homines sint in perpetuo timore peccati, & damnationis eterne, quam publicæ tribunalium, ne innumere lites oriantur, & iudices circa inquisitionem iusti tituli continuo fatigentur: cum enim usuræ ex genere suo sint illicitæ, iustus titulus non presumitur, sed iudici probari deberet ad hoc, ut licite, & iuste debitorum condemnare posset ad usuras. Hoc autem arduum est, quia quilibet mutuatarius facile negare posset titulum, v.g. lucri cessantis; mutuos vero cogere ad illum probandum cum diuturna litium protractione, damno, & gravamine tribunalium. Ad quod malum evitandum, sicut introductæ sunt ufucapiones, ita quoque ob bonum publicum iustitiate sunt consuetæ usuræ in Germania; & ideo iudex sine

sine ulla inquisitione tituli, solet mutuatarium condemnare ad usuras: fecus non vident, quomodo tota Germania excusari possit ab usuraria iniquitate, & iniustitia manifesta: & sic ob has, & similes publicas causas opinatur istam consuetudinem Germaniæ existimandam esse licitam iustam, & immunem ab omni usura formaliter tali.

30. Ajunt tamen, quod hæc opinio modificanda sit. 1. Ut usura sit moderata, quam lex, & consuetudo probata præscribit; sicut in Germania 5. vel 6. pro 100. adeoque si quid ultra accipiat, est formalis usura, & peccatum restitutioni obnoxium, & pœnæ confiscandi capitalis, seu fortis substat, vel quoad totum, vel quoad partem, ut disponitur in cit. Rec. 2. Ut usuræ istæ non extendantur ad alium locum, neque ad aliud genus mutui; & ideo pro vino, & tritico, & similibus mutuo datis nihil perit potest ultra fortem, quia non est consuetudo, aut lex id iustificans ex causis publicis, sicut est in pecunia. 3. Ut exactio usuræ aliunde non sit vitiosa, charitati erga proximum repugnans; ut si proximus per usuras redigeretur in mendicitatem, quia tali casu, sicut charitas dicit mutuum dare, ita quoque dicitur usuras non esse recipiendas. Unde excusantur a miseris, & pauperibus, qui præcise pro sublevanda miseria, & necessitate mutuum petunt, nihil ultra fortem sine peccato accipi posse; cum hoc sit valde inhumanum, & quodammodo crudele, sanguinemque pauperum exagens. Secus esset, si pauper industrius pecuniam mutuum acciperet, & cum ea negotiando ditior evadere.

31. Obj. 1. Presumpcio tituli (qua nititur consuetudo Germaniæ, & constitutiones Imperiales) fundatur in facto, quod iustus titulus adit; ergo si presumpcio fallat, & factum deficiat, corrumpit lex, & consuetudo, & conf. non iustificat usuras. 2. Leges istæ permittunt usuras pro foro externo ut licitæ; ergo si in foro interno deficiat iustus titulus, usurarii sunt omnes, qui 5. vel 6. pro 100. accipiunt, sicut sub Imperatoribus Gentilibus, & sub Justiniano fiebat. 3. Consuetudo Germaniæ melius excusatur a peccato usuræ per contractum censualem, quo creditor dans 100. emit a debitore jus percipiendi 5. vel 6. annuos florenos, addito pacto retrovendendi idem jus eodem pretio 100. florenorum, vel per contactum societatis, quo unus dat pecuniam, & alter confert operam, ut ex lucro 25. annua obviantur danti necessitatibus.

Respondent ad 1. Negando anteed. fundari enim ajunt principaliter in bono publico, ratione cuius semper censetur adesse iustus titulus, quatenus princeps ex causis publicis motus, dat jus percipiendi 5. pro 100. etiam per accidens percipiatur ex bonis alienis. Ad 2. Doctores ita loquentes non satis capi: nam licet princeps ad majora mala evitanda permittere possit usuras, quasi negative dissimulando penam, si tamen illicite sunt, non potest eas positive approbare, præmiare, & eis assistere condemnando debitorem in foro externo, quia hoc intrinsece malum est; ob quam etiam causam ufucapiones in mala fide neque licite sunt in foro externo: sed in Germania experientia quotidiana est, quod iudices, nullo quæsito titulo, positive assistant usuris, eis favent, & debitorem in illas condemnant; ergo vel principes, & iudices Germani omnes inique agunt, vel usuræ, si sunt licite in foro externo, debent etiam licite esse in foro interno. Ne ergo tota Germania usurariæ iniquitatis condemnetur, dicunt ex communi opinione populi usuras istas iustitias esse pro foro externo, & interno; quod ipsum sine scrupulo iudicant viri docti, & pii tam seculares, quam ecclesiastici, dum, deficiente omni titulo 5. pro 100. annuatim recipiunt. Ad 3. Negant aut. nam i. hoc modo evacuatur, & eliminatur omnis usura, ita ut committi non possit; quia semper allegari poterit contractus censualis expresse, vel tacite initus, quo v. g. pro centum emitur jus percipiendi 5. vel plures florenos. 2. Contractus censualis in hoc puncto, solo nomine differt a contractu usurario, quia in utroque idem re ipsa petitur solo nomine mutuo: tum quia in censu vel adest aliquis iustus titulus v. g. lucri cessantis, vel non adest: si adest, cessat argumentum de usura, si non adest, ergo re ipsa idem fit in censu, quod in usura, quod scilicet ex re aliena percipiatur fructus non a lio titulo, quam titulo contractus, quod certe inju-

stum est. Multo minus in tali casu est contractus societatis, ut perpendenti patet. Unde, licet non negent in his casibus celebrari posse contractum censualem, dicunt tamen, si omnis titulus aliquid ultra fortem accipiendi deficiat, illum non aliter hic, & nunc iustificari, nisi ex causis publicis, ita disponente principe: vel si ista dispositio non sufficit ad licitatem, usuram in eo committi palliatam, sicut in emptione, dum quis dat 100. ut sibi deinde detur merx constans 105. vel 100.

32. Q. III. An modus usuris a Justiniano lib. 26. hoc tit. prescriptus, sit licitus? Nota in citat. loc. determinari usuras. 1. Centesimas, quæ intra centum menses, seu octo annos, & quatuor menses aequant fortem, danturque 12. pro 100. in trajectitia pecunia, seu nautico fenore. 2. Bessales, seu centesimæ quinquagesimæ, quæ intra 150. menses, seu duodecim annos, & sex menses aequant fortem, danturque 8. pro 100. & hæ mercatoribus permittuntur. 3. Trientes, seu tertie centesimarum, quæ 300. mensibus, seu 25. annis aequant fortem, danturque 4. pro 100. & hæ illustribus personis permittuntur. 4. Semisses, seu ducentesimæ, quæ 200. mensibus, seu sedecim annis, & 8. mensibus aequant fortem, danturque 6. pro 100. & hæ aliis personis permittuntur. 5. Quincuntes, seu 5. pro 100. quæ intra 20. annos aequant fortem, siquæ earum mentio, lib. 17. princ. ff. & lib. 5. C. hoc tit. Jam R. in Germania ex asserta recepta consuetudine approbantur usuræ tantum semisses, & quincuntes, seu 6. vel 5. pro centum; non vero majores, nisi adit manifestus titulus ad accipiendi: fecus creditor in conscientia obligatur ad excessum restituendum. 1. Unde usuræ centesima tanquam sanguinolenta, & bessales, tanquam excessivæ reprobantur, nisi damnum emergens, vel lucrum cessans, vel periculum pecuniæ per mare, aut terras trajectiendæ tantum æstimetur.

Ceterum, licet sententia de hac asserta consuetudine in Germania recepta existimetur probabilis; quia tamen sensus saepe homines fallit; ideo ego humane prudentiæ non innitendam iudico, sed infallibili S. Sedis iudicio decidendam relinquo.

In littera encyclica Bened. XIV. Vix pervenit 1. Novemb. 1745. ad omnes Italia Ordinarios referretur, & approbatur, confirmaturque sententiæ Congregationis speciatim a se deputatæ circa usuras, aliisque injustos quæstus, contenta num. 2. ejusdem litteræ videlicet: Neque vero ad istam labem (usuræ) purgandam ullum accessit præsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens, & nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit: vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicto usasiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agendis negotiis utilisime sit impensurus.

§. III.

De Contractibus Usuræ affinis.

Contractus isti sunt: anatocismus, antichresis in pignoris, cambium, montes pietatis, olla fortuna, emptio chirographi, contractus societatis, & censualis. 33. Q. I. An anatocismus, & antichresis in pignoris usuram continent? R. Affirmative: nam anatocismus, seu usuræ usurarium reprobantur, lib. 29. ff. & lib. 3. 38. C. h. r. easque exercens, infamie nota notatur, lib. 20. C. ex quib. caus. infam. Erro. quia de jure non datur accessio accessionis, & servitus levitatis, fructus fructuum, lucrum lucri; ergo nec dari debet usura usuræ. Si tamen usura tibi numerata fuit, nihil prohibet eam investire per modum novæ fortis, seu capitalis. Antichresis, qua fructus ex re pignoratæ ultra fortem accipiuntur, tanquam usura palliata reprobatur in Concil. Turonens. & Lateranen. sub Alexand. III. cap. 1. 2. 3. 8. hoc tit. Vide dicta tit. de pignori.

34. Q. II. An cambium, montes pietatis, olla fortuna, emptio chirographi, seu debiti litigiosi, & diffculter consequibilibus, & contractus societatis sint immunita a vitio usuræ? R. Per se loquendo affirmative: nam 1. in cambio tam reali, seu manuali, in quo pecu-

pecunia hujus fortis permutatur cum pecunia alterius fortis, ut argentea pro aurea; quam *locali*, in quo pecunia datur campori in uno loco, v. g. Praga; ut restituitur in altero, v. g. Roma; adfunt tituli sufficientes, vi quorum aliquid accipi possit ultra pecuniam permutatam, puta obligatio comparandi pecuniam omnium generis, periculum illam conservandi, lucrum cessans, labor numerandi, scribendi, rationes faciendi, sumptus necessarii ad alendum camporem, ejusque officiales. 2. In montibus pietatis sunt idem tituli, vi quorum aliquid exigitur ultra fortem; & quamvis olim suspecti fuerint de usura, re tamen diligenter considerata, illos licitos declaravit Leo X. in Conc. Later. Sess. 10. & faveat ei Trid. Sess. 22. cap. 8. de reform. Sunt autem montes pietatis araria, seu granaria publica piorum liberalitate constituta, ex quibus indigentibus datur certa quantitas pecuniae, aut frumenti, receptis pignoris, ea lege, ut si praefixo termino non solvat, pignus vendatur, & ita mons pietatis suam fortem, & aliquid ultra recipiat; reliquum vero debitori restituitur. 3. In olla fortunae spes emittitur, sicut emi solet jactus reus: talis autem spes est pretio aestimabilis: sed quia in olla fortunae plerumque fraudes committuntur, ideo vix unquam a magistratibus admitti debet. 4. Chirographum, seu nomen litigiosum, & difficulter evincibile in communi aestimatione minus valet; ergo si minoris ematur, nulla erit usura, nisi princeps, vel praefectus ararii, quibus debita evincere est facile, nomen emerit. At si nomen, seu debitorum liquidum, & facile consequibile, minoris ematur, est usura palliata, ut patet ex prop. 41. ab Innoc. XI. damnata: cum numerata pecunia &c. nam debitum, v. g. 100. valet omnino 100. neque ob dilatatam solutionem fit minoris pretii; ergo si ematur 90. fit usura sub specie emptionis palliata. 5. In contractu societatis, ubi lucra, & damna sunt communia, nihil usurarium apparet: imo contractus iste a jure civ. approbatus, nullibi a jure Can. reprobat, nisi pecuniam conferens adderet pactum, ut lucrum fit commune, non vero damnum, sed fors sua maneat: tunc enim deficit aequalitas, & justitia, estque talis societas leonina ex mente Cassii, lib. 29. §. fin. ff. pro socio.

35. Q. III. Quid, & quomplex sit census, & an sit licitus contractus censualis? R. 1. Census obiective est pensio annua; formaliter est actus, quo constituitur, & consecratur, seu efficitur est jus exigendi pensionem annuam: & qui tale jus habet, seu qui percipit pensionem vocatur: censualis, seu creditor; & qui obligatur pensionem dare, dicitur censuaris, seu debitor: fundus vero, ex quo pensio debetur, vocatur censuarius. Sunt autem species principales census, quinque: census, legatarius, qui legato, donatarius, qui donatione, transfertur, qui transactione, ponalis, qui condemnatione iudicis, & emptius, qui per contractum emptionis constituitur. Rursum ex modo constituti dividitur census in reservatum, & consignatum. Reservatum est, dum dominus plenum dominium rei tradiderit, & sibi reservat aliquam pensionem annuam lib. fin. C. de rer. permutat. Consignatum est, dum dominus retinet plenum dominium rei, sed solum alteri dat, seu consignat jus percipiendi, & exigendi annuam pensionem. Porro hodie raro est in usu; sed locum ejus tenet emphyteusis, in qua utile dominium transfertur sub obligatione praestandi annuum Canonem, seu pensionem: quae si non solvatur per biennium, aut triennium, emphyteuta privatur emphyteusi cap. fin. de locato: at si censuaris non solvat pensiones annuas, has quidem solvere cogitur, sed fenum censuali non privatur, argum. cap. 6. vers. cum autem de relig. domib. Censum legato, donatione, transactione, aut condemnatione constitutum, esse honestum, & licitum fatentur omnes. Tota igitur questio procedit de censu emptio, seu contractu censuali, quo venditur, & emittitur jus percipiendi annuas pensiones ex re, aut industria persone.

36. R. 2. Censum emptium, seu consignatum specificis talem dividi: 1. In realem, qui constituitur in re frugifera, ut agro, vinea, domo &c. & personalem, qui constituitur, non quidem in ipsa persona, sed in persona industriae, labore, & artificio: si vero constituitur in re, & industria persone, erit mixtus ex utroque. 2. In pecuniarium, qui solvitur in pecunia: & fructuarium, qui solvitur in fructibus, vel determinate, v. g. ut dentur tres modii annuatim; vel indeterminate, v. g. ut dentur quarta pars fructuum; 3. In perpetuum, quae non finitur morte venditoris, aut emptoris, sed utrinque ad haeredes transit; licet mutuo consensu dissolvi possit: & temporalem, qui constituitur ad tempus, vel certum, v. g. 10. annor., vel incertum, v. g. ad vitam censualis; & vocatur vitalis, qualis dependet a voluntate superiorum solet quandoque concedi monialibus, & religiosis. 4. In redimibilem, qui redimi potest a creditore tantum, vel a debitore tantum, vel ab utroque: ita ut restituatur, & recepto pretio, ex utraque parte sit redimibilis: & irredimibilem, qui altero invito, tolli, seu redimi nequit; bene vero utroque consentiente. Solent autem censui varia pacta adici, ut dicitur.

37. R. 3. Emptio censui realis est licita de jure naturali, & positivo: ita com. contra Henric. Salic. & paucos alios: nam spectato jure naturali, licitum est emere jus totale percipiendi omnes fructus ex praedio, ut si totum praedium ematur; ergo etiam de jure naturali licet emere jus partiale ad percipiendos aliquos fructus sive in pecunia, sive in natura praestandos: quid enim hic iniquitatis? non certe est usura, quia haec non datur, nisi in mutuo: non inaequalitas, quia suppono dari aequalitatem inter jus emptionis, & pretium lege, aut consuetudine taxatum. Jure positivo Can. Extrav. 1. & 2. de emption. inter com. expresse approbatur contractus censualis, quo emittitur census realis in re frugifera: tunc quia licite emittitur usufructus lib. 8. princ. ff. de peric. & com. rei vend. parvus, & fructus futuri lib. 8. §. 2. ff. de contr. emp. & servitus §. fin. Inst. de servit. sed census realis est partialis usufructus, est jus ad futuros fructus, est quaedam servitus in re constituta, saltem in possessore relato ad certam rem, ergo: tunc denique, quia licitus est census consignativus legato, donatione, aut transactione constitutus; ergo etiam emptione constitutus; cum non minus valet quod emittitur, quam quod legatur, donatur, & transigitur. Dices: Magna est inaequalitas in hoc contractu: nam si pro 100. emas jus percipiendi 5. intra 20. annos census aequabitur fortem, & post 20. an. cum superabit, & tamen censuistae salvantur tota fors. R. Retorquendo in emptione totius praedii: nam si hoc emas 1000. per 20. an. fructus percepti aequabunt mille, & tamen saluum manet jus vendendi praedium mille forensis; ergo si hic nulla est inaequalitas, & injustitia, ita neque in priori casu. Ratio utriusque est, quia pensiones annuae successive percipiendae moraliter non valent tantum, quantum omnes simul, idque ob varias molestias, difficultates, pericula, alioque casus contingentes, quibus obnoxiae sunt pensiones annuae.

38. R. 4. Attento jure naturali, licita est emptio censui personalis: ita com. DD. contra Navar. Gutier. Fach. &c. Prob. argumentis prioribus, quae hic ob patientiam rationis accomodari possunt: tunc quia pensiones personales constitui possunt, donatione, & lege, ut patet in decimis personalibus; ergo etiam emptione: siquidem persona industria est instar agri fertilis, adeoque sicut emi potest jus ad fructus ex agro, ita quoque emi potest ad fructus ex industria, & lucris personae percipiendos. Cessante autem industria persona, etiam regulariter cessare debent pensiones, sicut interitum rei frugiferae interdidit jus ad fructus percipiendos. Dixi: attento jure naturali, quia emptio censui personalis prohibetur per Const. S. Pii V. incip. Cum unus, sed haec Constitutio non est us recepta in Germania, Belgia, Gallia, Hispania; sed observantur ea solum, quae jure naturali requiruntur; puta ut sit justum pretium lege, vel consuetudine taxatum, ut census anticipat non exigatur; ut in casu, quo res censualis, aut industria personae perititula culpam censuaris, redditus annui extinguantur.

39. R. 5. Pacta, quae contractui censuali in Germania adde solent, sunt seqq. 1. Pactum durationis ad certum tempus, v. g. ad 20. annos, vel ad tempus incertum vitae, cum jus percipiendi fructus, intra tale tempus sit pretio aestimabile. 2. Pactum de non vendenda re censuali absque consensu censualitate, ne hujus conditio debitor efficiatur. 3. Quamvis a jure positivo approbetur census redimibilis tantum ex parte vendi-

venditoris, seu censuaris Extrav. 1. 2. de emp. int. com. Const. S. Pii V. Cum unus 1568. 14. Cal. Febr. Const. Carol. V. in com. Augustae 1548. & 1550. Ubi tamen his Constitutionibus derogatur est contraria consuetudine, servata aequalitate contrahentium, addi potest pactum de redimendo censu vel ex parte venditoris, & emptoris, vel utriusque simul: nam contractus ex conventionem legem accipiunt reg. 85. in 6. & aliunde talis redemptio admittitur in aliis emptionibus, venditionibus. 4. Pactum assicuracionis de salva futura sorte, si res frugifera, vel industria persona periret: nam pactum assicuracionis locum habet in aliis contractibus; ergo & in contractu censuali.

§. IV.

De Judice, solutione, restitutione, & poenis usurarium.

40. Q. I. Quis sit iudex in crimine usurarium? R. Crimen usurarium esse mixti fori; adeoque iudicem illius esse laicum, vel ecclesiasticum; & ex his, qui praeventur: ita Syly. Reiff. & alii contra Clar. Azor. &c. docentes questionem juris de usura pertinere ad ecclesiasticum private. Prob. ex cap. 12. hoc tit. ubi cognitio usurae indiscriminatum attribuitur principibus laicis, & iudicibus ecclesiasticis: nam usura plus spiritualitatis non habet, quam alia delicta adversantia justitiae, ut furtum, homicidium &c. ergo. Excipie, nisi consuetudo aliud habeat, vel questio sit de justitia statuti permittentis usuras: tunc enim iudicis ecclesiastici examinare est, an justum, vel injustum sit statutum?

41. Q. II. An mutuaris teneatur solvere usuras promissas mere latoratoris? R. Regulariter negative, quia usurae istae injulite putantur: si tamen promissio usurarium fuit juramento firmata, ob reverentiam juramenti, quod hic sine peccato servari potest, solvenda sunt usurae cap. 6. de jurejur. &c. cap. 5. hoc tit. sed solummodo mox repeti potest, vel reivindicacione, si pecunia extet, vel condicione, si pecunia bona fide consumpta est. Si vero fuerint ex pecunia usuraria aliquid comparavit, id fenum facit, quia consumptione acquirit, & transfuit dominium pecuniae; sed ad tantumdem restituendum obligatur in conscientia. Ne ambages istae sint, debitor fataget impetrare relaxationem juramenti, quam facere potest Episcopus, & alii privilegiati, qui in votis, & juramentis dispensare possunt. Haec pro foro interno, in quo regulariter ad restitutionem adigendi sunt, qui usuras acceperunt maxime a pauperibus, & miserabilibus personis, quae non causa negotiationis, sed praecipue propter necessariam sustentationem, vel solutionem, alterius debiti mutuum acceperunt: nam in tali casu non tantum peccatur graviter contra charitatem, sed probabiliter etiam contra justitiam; cum deficiente omni justo titulo, non censetur princeps dare potestatem aliquid exigendi a pauperibus, vel miserabilibus personis. In foro autem externo raro fit talis restitutio; quia iudices praesumunt aliquid justum intervenisse titulum.

42. Q. III. Quae sint poene usurarium? R. Seqq. 1. Infamia lib. 20. Cod. ex quib. caus. infam. irreg. Can. 2. infamest. §. porro, §. 9. 7. quae tamen infamia cessat ex usu, & aequitate Canonica, si usurarius respicitur, Bald. Felin. &c. 2. Satisfacere nolentibus neganda est absolutio sacramentalis, Eucharistia, & sepultura ecclesiastica, c. 3. h. t. c. 2. cod. in 6. & clericus eos sepeliens, ipso facto excommunicatur, Clem. 1. de sepultur. 3. Fiunt irregulares propter infamiam, Can. 2. d. 37. 4. Fiunt interstabiles active c. 2. h. t. 5. Confiscatur fors illorum, vel tota, vel pars pro qualitate delicti. In Germania quarta pars cedit fisco ex Const. Maximiliani I. an. 1500. Caroli V. 1548. Rudolphi II. 1577. Francosurii His poenis subjacent usurarii manifesti post sententiam declaratoriam criminis c. 15. h. t. Probantur autem usurarii manifesti vel ex evidencia facti, quia palam senuus improbum exercent, vel ex confessione propria in jure facta, vel per testes idoneos, aut indicia violenta, & per libros rationum, quos edere tenentur c. 15. h. t. l. 5. 6. de prob. Clem. 11. §. ceterum h. t.

Agitur de hac materia in Extrav. Joan. XXII. & com. hoc tit. In Decreto Can. 3. d. 19. & cap. 80. quisquis. 11. quest. 3. In Instit. §. 7. de publ. jud. in Pandectis lib. 48. tit. 10. In Codice lib. 9. tit. 22. 23. 24. 25. Nov. 73.

1. Nota, Crimen falsi definiti, quod sit fraudulenta veritatis imitatio, seu immutatio in praedictum alterius facta, Nov. 73. princ. Ex qua definitione patet tria requiri ad hoc crimen: fraudem, seu dolum, fictionem, seu immutationem veritatis, & nocumentum alteri illatum, vel inferendum, etsi per accidens impediatur, l. 1. 6. ff. de L. Cornelia de falsi lib. 8. 20. C. eod. Licet autem lex Cornelia lata sit de solis testamentis falso conscriptis, suppressis, vel alio modo immutatis, tamen deinde extensa est ad omne genus falsitatis dolose, ut patet ex cit. tit. ff. & C. de L. Corn. de falsi. Hoc crimen committitur vel circa personam, vel circa res, dicto, scripto, falso, & usi.

2. Q. I. Quando committatur crimen falsi dicto? R. Tunc, quando quis dolose in praedictum alterius falsum profert: quod maxime accidit in iudicio, dum testis falsum deponit, & verum occultat, dum advocatus dolo malo causam clientis sui prodit, dum iudex dolose sententiam injustam pronunciat, l. 1. 20. 27. ff. h. t. Poena falsi testis, uti & aliorum falsariorum est deportatio cum publicatione bonorum; vel si persona vilis sit, damnatio ad metallum; ex Const. Carol. 107. est poena talionis praeter reparationem damnorum. Poena advocati falsi hodie est arbitraria, ut fustigatio, carcer, numella, relatio art. 115. Carpz. Poena iudicis falsi pro qualitate personae, & delicti est privato officio, confiscatio, exilium; imo & poena mortis; & de jure Can. iudex per fordes iudicans, suspenditur a divinis, c. 1. de sent. & re jud. in 6.

3. Q. II. Quando committatur crimen falsi scripto? R. 1. Tunc, cum litterae, seu quodcumque instrumentum dolose falsatur in nocumentum tertii, ut si falsitas committatur in testamento, instrumento publico, & litteris alicujus momenti; ut si mendici fingant sibi casus fortuitos incendiis, morbi &c. lib. 1. & seq. ff. de L. Corn. de falsi. Poena hujus falsitatis est deportatio cum confiscacione bonorum; vel arbitraria ex Const. Car. 112. mitius tamen puniuntur, qui privatas litteras alicujus aperuit, nisi eas adversario ostendisset: secus si aperuit litteras, magistratus, praetuli, aut principis.

4. R. 2. Falsarii litterarum apostolicarum sunt illi, qui litteras papales falsas conscribunt, vel falsis sigillis ununtur, vel in litteris apostolicis, sive gratiae, sive justitiae, radendo, addendo, ablaendo, vel alio modo aliquid immutant, vel litteras ipsas ex alterius, quam Papa, vel officialium deputatorum manibus recipiunt, cap. 4. 5. hoc tit. Poena hujus sunt seqq. 1. Falsarii litterarum apostolicarum, qui per se, vel alios vitium falsitatis exercent, ipso facto excommunicantur. 2. Clerici omnibus officiis, & beneficiis privantur: & si per se falsitatem exercent, degradati curiae seculari traduntur: haec vero juxta leges puniendi sunt. 3. Qui litteris falsis apostolicis ununtur, si clerici fuerint, officii, & beneficiis spoliandi sunt: laici vero tandiu debent excommunicati manere, donec satisfaciant competentem: ita cap. 7. hoc tit. cujus dispositio, utpote poenalis, non est extendenda ad clericos falsificantes litteras Imperatoris, S. Penitentiarie, SS. Congregationum, Legati a latere, proprii Episcopi &c. Sufficit autem ad incurrendas istas poenas etiam unicus actus falsitatis, quia exercere in materia poenali verificatur in uno actu, §. 4. In. de publ. judic.

5. Q. III. Quando committatur crimen falsi falso? R. in seqq. casibus. 2. In partus suppositione, ad cuius accusationem admittuntur soli parentes, & quorum interest, lib. 30. §. 1. ff. de L. Corn. de falsi. & supponens praeter reparationem damnorum, subjacent poenae capitali, lib. 1. C. eod. quae tamen non videntur esse mors naturalis, sed civilis per deportationem, cui hodie succedit fustigatio, Carpz. Zoer. 2. Qui eandem rem pluribus vendit, lib. 21. ff. eod. si vero falso do-

net, vel pluribus oppignoret; tenetur crimine stellationatus. 3. Qui mercibus adulterinam materiam admiscet, pondera, & mensuras immutat: hi præter ordinariam poenam deportationis, condemnantur in duplum, lib. 32. ff. eod. in Germania arbitraria puniuntur, Const. Caroli art. 113. 4. Falsarii monetæ, qui propria auctoritate monetam cudunt, etiam iusti ponderis, & materię, qui tendendo, radendo, & alio modo pondus monetæ publicæ diminuunt, qui adulterinam monetam cudunt, v. g. ex cupro, stanno; & hi, præcedente strangulatione, igne puniuntur ex Const. Constantini, l. 2. C. de falsa monet. tendentes, vel veram monetam cudentes hodie subsunt poenæ arbitrarię. 5. In Extrav. un. h. t. int. com. prohibetur monetæ ex auro alchymistico; quia sophisticum, & deceptorium est. Qui tale aurum, secuto effectu, faciunt, vel faciuntibus ministrant, vel eo utuntur in commerciis, in poenam tantum pondus veri auri dare debent; vel corporaliter puniuntur, & infames fiunt: clerici vero præter has poenas, privandi sunt beneficiis habitis, & inhabiles ad alia obtinenda futuri.

6. Q. IV. Quando crimen falsi committatur usu, seu potius abusu? R. 1. Qui nomen, cognomen, patriam, parentes dolose in novernum tertii falsificat. 2. Qui illicitis, seu alienæ familiæ insignibus utitur, fingendo se nobilem, doctorem &c. 3. Qui proposita Edicta dolose corrumpit, vel falsas leges allegat &c. l. 13. 27. §. fin. l. 32. & fin. ff. de L. Corn. de fals. Plures particulares casus reperies in Pandectis, & Codice, li. cit.

7. Q. V. Quid statuat in Scro Liboniano? R. Hoc Scro poena L. Cornelia de falsis extenditur ad eos, qui vocati ad scribenda aliena testamenta, vel codicillos, sibi aliquid in eis adscribunt permodum hæreditatis, aut legati, l. 15. C. de L. Corn. de fals. l. 3. C. de his, qui sibi adscrib. in testam. Præter hanc poenam scribens, sit incapax accipiendi id, quod scriptum est, iudic ob præsumptionem falsitatis: unde si aliquid scribenti relinquere vult testator, id alia manu scribendum est. Vide Zoes, tit. ff. de L. Corn. de fals. num. 16.

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

Agitur de hac materia in Decreto, 26. q. 1. usque ad 6. in D. Thom. 2. 2. q. 92. usque ad 98. In Codice lib. 9. tit. 18.

1. Nota 1. Sortilegium, falso affine, late accipi pro superstitione, quæ est vitium oppositum religioni secundum excessum; quatenus exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet, S. D. 2. 2. q. 92. a. 1. Hujus quatuor sunt species: 1. Idololatria, quæ cultum divinum exhibet creaturæ. 2. Superstitio indebiti modi colendi Deum; dum quis cultu falso, superfluo, & vano a Deo non revelato, neque ab Ecclesia instituto, colit verum Deum; ut si Christianus colat Deum ritibus Judaicis vel Gentilium; vel si velit missam dici a sacerdote, qui vocatur Joannes &c. 3. Vana observantia, dum quis per media inutilia, & a Deo, vel Ecclesia minime ordinata conatur procurare aliquem effectum externum, sive id fiat cum expresso pacto demonis, sive cum tacito. 4. Divinatio, quæ est cognatio futurorum, & occultorum ex pacto cum demone explicito, si homo habeat expressam voluntatem aliquid sciendi a demone: vel implicito, si homo pro cognitione occultorum signum aliquod vanum adhibeat, & inspicat: differt a priori, quia vana observantia tendit ad procurandum effectum externum, ut sanitatem, bellum, promotionem ad officia &c. divinatio vero præcise tendit ad cognoscendum futura, & occulta, S. D. 2. 2. q. 92. a. 2. & Can. 1. igitur 26. q. 3.

2. Nota 2. Divinationis, seu necromantię, ut fit ex pacto explicito cum demone, novem esse species: quarum 1. est prestigia, dum demon variis apparitionibus illudit, & docet supersticiosos. 2. Divinatio per somnia, dum per somnia cognitio queritur a demone. 3. Necromantia specificè, dum ad certas preces videntur mortui resurgere, loqui, & docere. 4. Divinatio per pythones, dum demon per homines atreptitios. 5.

Geomantia, dum per signa, & corpora terrestria. 6. Hydromantia, dum per signa aquea, seu in aquis apparentia, 7. Aeromantia, dum per signa in aere apparentia, 8. Pyromantia, dum per signa in igne apparentia, & 9. Aruspiciam, dum per signa in excrementis animalium sibi immolatorum demon futura, & occulta docet.

3. Nota 3. Divinationis, ut fit ex pacto implicito, duas esse species: Prima querit cognitionem ex consideratione depositionis, vel motus alterius rei, ut Genethlia ex siderum motu, & situ, Augurium ex animalium vocibus, aut hominum sternutatione, Auspicium; ex volatu avium, & motu animalium, Omen ex hominum vocibus præter intentionem prolatis, Onyrocritica, ex somniis, Physionomia ex spatula, seu delectationis signis, Metoposcopia ex fronte, Chiromantia ex manibus; & variis lineis inspicit. Qui ergo ex talibus signis futura, & occulta prædicit, Divinus, & Augur est. Altera querit cognitionem ex dispositione eorum, quæ nos consuetum proptereaque occultum cognoscendum, vel per Geomantiam, seu protractionem punctorum; vel per Sortes, dum occulta inquirimus ex signis resultantibus, v. g. ex schedulis in uram projectis, ex jactu alearum, ex plumbo liquefacto in aquam projecto, ex eo, quod fortuito nobis occurrit in libro aperto, S. D. 2. 2. q. 95. a. 1. & seq. ubi dignus est lectu.

4. Nota 4. Has superstitionis species esse omnes illicitas, ad quas etiam reducitur Astrologia judiciaria, quæ ex siderum inspectione prædicit eventus fortuitos a libero arbitrio dependentes: ut & Magia superstitiosa, quæ demonis ope mira facit, vel ad proprium commodum, aut ostentationem, vel ad proximi novernum: quo sensu dicitur Maleficium, vel Veneficium. Econtra sub genere superstitionis non continentur: 1. Magia naturalis, quæ per causas naturales, absque demonis ope mira operatur. 2. Astrologia naturalis, quæ ex siderum motu, & concursu effectus naturales prædicit, ut eclipyses, pluvias, grandines, ventos, morbos, fertilitatem anni &c. 3. Physionomia, & Chiromantia naturalis, quæ ex inspectione corporis, & lineamentorum arguit ad complexionem, fanitatem, ingenium &c. 4. Observantia naturalis ex volatu, & clamore avium, & aliorum animalium, quæ naturaliter solent indicare quosdam eventus naturales, ut pluvias, serenitatem, frigus &c. quia revera horum signa sunt, S. T. 2. 2. quest. 95. art. 7. Denique a superstitione procul abest notitia prophetica, etiam ex somnio a Deo immisso hausta, ibid. art. 6. Plura de his vide in cit. S. D. & TT. Mor. Laym. lib. 4. tr. 10.

5. Q. I. An sortilegium sit licitum? Nota anteresp. ex S. D. l. c. a. 8. tres esse fortium species: Divinatorias, quæ adhibentur ad occulta, vel futura contingentia cognoscenda. Consultorias, quæ adhibentur, ut Deus occultam veritatem manifestet, vel anceps consilium dirigat: & Divisorias, quæ adhibentur ad jus indivisum, aut dubium pluribus competens inter eos dividendum, vel uni applicandum.

6. R. 1. Sortes Divinatorie sunt graviter illicitæ, non tantum quando fiunt per expressam invocacionem demonis, sed etiam per verba, scripturam, aut alia signa nullam connexionem cum re occulta, & eventu futuro habentia, cit. art. 8. & Can. 6. & seq. 26. q. 5. & cap. 1. hoc tit. nam in fortibus istis saltim tacite demon colitur, tanquam Deus, & revelator occultorum.

7. R. 2. Sortes Consultoriae regulariter sunt illicitæ, Can. 7. sortes 26. quest. 5. nam per illas Deus tentatur, & sortilegi exponunt se periculo, ne Deo permittente, a diabolo decipiantur. Si tamen fiant ex levitate, curiositate, & vanitate, absque ullo commercio cum demone, & sine fide, quasi veritas per Deum hoc modo manifestaretur, saltim sunt peccata venialia; quatenus sortilegi sine ulla urgenti causa Dei providentiam his fortibus alligare velint. Excipe, nisi sortes istæ ex speciali instinctu divino adhibeantur, qualiter detectum est furtum Achani Jos. 7. v. 14. Mathias per sortes electus est Apostolus &c.

8. R. 3. Sortes divisorie regulariter sunt licitæ, quia mutuo consensu partium, vel mandato sunt

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

sunt per modum transactionis, & compositionis; uti inter heredes, socios, commilitones: item si agatur de una re individua, de promotione ad officia secularia, de periculosa statione in bello, de puniendis pluribus reis, quorum omnes puniri nequeunt: & generaliter, dum nulla appareat ratio, cur in aliquo commodo, vel incommodo alter alteri sit preferendus; res ista fortibus definiti potest; dummodo eventus non expectetur a demone, sed via ordinaria a Deo, ut libus finis imponatur. Dixi regulariter: nam.

9. R. 4. Electio ad prælaturas, & beneficia ecclesiastica per sortes divisorias, aut consultorias, est graviter prohibita: & quidem jure naturali, si fortibus committatur digni, & indigni; cum id vergat in damnum Ecclesię, & indignum pastorem: jure vero ecclesiastico, si fortibus committatur æque digni, etiam in casu, quo duo paria vota haberent, & neutra pars eligentium veller edere, c. fin. h. t. c. 42. de elect. ubi tales electiones ipso jure nulle pronunciantur: nam electio personarum ecclesiasticarum non debet fortibus, seu cæca fortuna fieri, sed ex delectu, & iuxta majorem capaciatem, ac dignitatem. Electio compromissariorum per sortes facta reprehenditur quidem cit. c. fin. non tamen irritatur. At lites alias beneficiale, & ecclesiasticas, ex mutuo partium consensu, & accedente auctoritate superioris nihil prohibet per sortes terminari.

10. Q. II. Cujus fori sint sortilegia, & magia superstitiosa, & quæ poena his constituta? R. 1. Sunt mixti fori: nam ratione peccati etiam ecclesiasticus procedere potest, ut patet ex Constitut. Sixti V. Cali, & terra.

11. R. 2. Sortilegi de jure civ. puniuntur publicatione bonorum, & aliquando poena ignis l. 3. 5. C. de maleficiis: hodie poena est arbitraria. Magi vero plectuntur gladio, vel igne comburantur, si magiam exerceant cum novernum tertii; vel per qualitate delicti relegantur, Carpov. 2. De jure Can. clerici sortilegi, seclusa hæresi, verbaliter degradantur, seu deponuntur ab officio, & beneficio, & ad monasterium, vel carcerem detrahuntur Can. 4. & seq. 26. q. 5. Can. 15. admovent 26. q. 7. c. 1. 2. h. t. Laici viles verberantur: honestiores incarcerantur, aut relegantur, Can. 10. contra 26. q. 1. imo excommunicari possunt cit. c. 15. vel stigmatè notati & diocesi expelli Can. 12. Episcopi 26. q. 5. Magi vero, & libros magicos edentes, aut legentes, notantur infamia, excommunicantur, & pro qualitate delicti arbitrarie puniuntur. Vide Const. Innoc. VIII. Summi. Leonis X. Honestatis. Greg. XV. Omnipotens. Sixti V. Cali, & terra.

Vide etiam Decretum Cong. univers. Inquisit. a me relatum tit. 38. de poenis, & remiss. post num. 3. contra sacrilegos abutentes missæ sacrificio ad sortilegia. &c.

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

Hic revoca dictum tit. de calumniatoribus, &c. nam collusio idem est, quod prævaricatio, seu occulta doctio conventio inter actorem, & reum; ut reus absolvatur.

1. Q. Quid juris circa collusionem? R. 1. Si actor, & reus colluserint circa beneficium ecclesiasticum, ita ut actor in gratiam rei patere sibi litem fieri circa illud, uterque illo privandus est, c. 3. h. t. ne patronis, & collatoribus suis conferendi lædatur.

2. R. 2. Si accusator in criminalibus colluserit reo accusato, uterque fit infamis, l. 4. ff. de prævar. Accusator extraordinarie punitur, vel poena talionis: reus vero absolutus, iterum accusari, aut inquiri potest, arg. c. fin. h. t. l. 3. §. 1. ff. de prævaric. quia sententia, ex collusione lata est invalida l. 3. ff. de collus. deteg.

3. R. In civili causa non datur proprie collusio, seu prævaricatio; quia actor, & reus in civilibus transigere inter se possunt. At procuratores in civilibus judiciis colludere possunt, uti & advocatus, licet hic falsarius potius, quam collusor dicendus sit, ut dixi tit. 20. num. 2.

1. Nomine puerorum venit hic uterque sexus, non pubertatis necdum ingressus. Quamvis vero in ordine ad matrimonia incedenda, ubi potentia generandi attenditur, mas præsumatur pubes an. 14. completo, & femina viripotens an. 12. c. 3. & 14. de despons. impub. tamen in ordine ad delicta, & poenas nulla videtur esse distinctio ætatis inter marem, & feminam, ut innuit Const. Carolina; quia iudicium, & capacitas doli, ac providentię non advenit citius in femina, quam mare; & ideo neque puella fit citius majorennis. An vero pubertas anno 14. an. 17. vel 18. adveniat pro judicio criminali, mathematicè definiti nequit; sed totum hoc pendet a circumstantiis, & cons. iudicis arbitrio relinquatur.

2. Q. I. An, & quibus poenis subsistent infantes, pueri, & minores delinquentes? R. 1. Infantes nec civili, nec criminali poenæ subsunt, l. 12. ff. ad L. Corn. de sicar. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. nam infantes septimum annum non egressi, propter defectum iudicii non præsumuntur dolores capaces; ergo nec poenæ. Infantibus comparantur amentes, furiosi, & similes usu rationis destituti. Quod vero in uno, vel altero malitia ætatem prævertat, id tanquam rarum non est trahendum in consequentiam.

3. R. 2. Pueri ob delicta omissionis raro ad poenam tenentur, l. 2. C. si advers. delicti. quia imprudentia potius, quam malitia actum debitum omisisse præsumuntur; nisi probetur dolum in omissione intervenisse, l. 14. ff. de Scro Syllan. Magistri tamen, & parentes pueros, qui officia sua non implent, missis diebus festivis, & Dominicis non audiunt, & alia necessaria exercitia omittunt, moderate castigare debent, ne peccare assuefiant.

4. R. 3. Pueri ob delicta commissionis, v. g. ob furta, homicidia, & similia, puniri possunt, & debent, sed poena mitiori, attentata, non tam ætate, quam qualitate doli, & malitię. Ita c. 1. h. t. l. 14. ff. de Scro Syllaniano: nam pueri, quatenus sunt capaces doli, subsunt poenæ; quatenus vero patiuntur defectum iudicii, merentur remissionem majoris poenæ ex reg. 108. ff. fere in omnibus poenabilibus iudiciis, & arari, & imprudentia, succurrunt, ergo. Dices: Pupilli sine auctoritate tutoris obligari non possunt, pr. Inst. de auct. tut. & l. 22. pr. ff. de L. Corn. de fals. l. 1. v. impubes. C. de fals. monet. & c. 2. h. t. in pueris relinquitur solet inultum, quod in aliis seuerius corrigendum. R. Dist. ant. obligari ex contractibus conc. ant. ex delictis neg. ant. cetera leges procedunt in delictis omissionis: & c. 2. h. t. loquitur comparative, quod pueri tam severe non puniantur, ac alii.

5. R. 4. Minorettes 25. annos non egressi ob delicta commissionis puniri possunt poena ordinaria l. 9. §. 2. l. 37. §. 1. ff. de Minor. regulariter tamen ob fragilitatem ætatis non solentur ordinaria poena puniri, nisi gravissima delicta concurrant, ut hæresis, simonia, veneficium, læsæ majestatis, repetitio delicti &c. modo delinquens sit major 14. annis. Imo pueri, si malitia supplet ætatem, tenentur de adulterio, aliisque delictis carnalibus l. 26. 38. §. 4. ff. de L. Jul. de adult. & lib. 37. §. 1. ff. de Minor.

6. Q. II. An pater teneatur ex delicto filii quoad poenam pecuniariam? R. Negative, si delicti patris non fuit, tit. C. ne filius pro patre: nam nemo alieni criminis successor constituitur l. 26. ff. de poenis & peccata suos tenent auctores l. 22. C. de pan. ergo. Unde pater non tenetur solvere ex peculio profectio l. 58. ff. de R. J. neque ex bonis adventitiis, ne usufructu privetur, neque ex legitima, quia hanc ante mortem suam dare non tenetur. Idem dic, de prelato, qui ex delicto monachi non tenetur, ne delictum personę noceat monasterio. Dices: 1. Pater ex l. XII. Tab. non secus ac dominus, iudicio noxali conveniri potest ex delicto filii. 2. Pater saltem ex peculio filii solvete tenetur l. 1. C. ne filius pro patre, ibi: neque amplius, quam de peculio actionem suscipere cogitur. 3. Frustra alius filius ex delicto conveniretur. R. Ad 1. cessante potestate vitæ, & necis in filium, cessat istud iudicium noxale §. fin. in de noxa.